[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible]

TRACTATVS
DE RE
NVMMARIA PRISCI ÆVI,
QVAE COLLATA AD æſtimationem monetæ præſentis.

AD

Hiſtoriæ cùm Profanæ, tùm Sacræ intelligentiam non parum vtilis.

Auctore.

IOANNE A CHOKIER, Patricio Leodien. I. V. Doctor.

LEODII,
Typis Chriſtiani Ouvverx iun. propè S. Dionyſium ſub ſigno Patientiæ.
M. DC. XIX.

PERILLVSTRRI & R^do ADMODVM DOMINO, DOMINO

Arnoldo à VVachtendonck, Maiori Decano Leodiensi, Prępoſito Xantenſi, Metropol. Eccleſiæ Colon. Archidiacono, &c.

IO. A CHOKIER S.P.D.

MAGNA *atque excelſa Decanatus Leodiẽſis dignitas*, Perilluſtris & Amp^me Domine, *ad quam nuper euectus es, deſiderium meum in humanitatem Tuam alioqui valdè propenſum extimulauit, vt iſtud qualecumq́ue de* Re Nũmaria *opuſculum*, Amp^ni Tuæ *dedicarem. Sed dum illud leuidenſe imparq́ue virtuti Tuæ generis nobilitati cõiunctæ cõſidero, ex facili in ſuſpitionem venio nõnullos forteàn fore, qui ſupprimẽdum illud, quã ſub ſplendore nominis Tui vulgandum cenſeant. At verò, cum nec ciuilitatis & humanitatis ratio nolit*

§ 2 *munus*

munus magis à donãtis animo, quã illius pretio atq; magnitudine æstimari, neq; etiam nescius sim quâ præditus sis & humanitate & animi in litteratos propẽsione, tandem adduci potui, etsi pudẽtius, vt quãtulumcumq; scriptũ istud operis cõmitterem Typographicu, & sub Auctoritatis tuæ tutelâ vulgarem. Vt enim gemmam non videmus æstimari à mole atq; magnitudine, nisi potius ab illius sinceritate & probitate, ita meliores ingeniorum fœtus. Cuiusmodi autem iste erit, non poterit non, ita spero, gratus esse, vtpotè eius, qui illũ Amp^ni^ Tuæ *offert ceu animi obsequiosi* ἐνέχυρον, *& debitæ suæ erga humanitatem Tuam aliquale monumentũ. Nam quicumq; ciuilatem Tuam à limine, vt sic dicã, salutarunt, probè certè norunt quâ voluntate cuiusq; affectum excipias, quam facili lætoq; vultu lucubratiões litteratorũ*

aspi.

aſpicias, ſic quidem, vt neq; cedere humanitati neq; eruditioni cuiuſq; videaris Magnũ quidem eſt illuſtribus ortum eſſe natalibus, at herclè maius generoſum informare animũ, earum ſcientiâ rerum, quæ in vſum poteſt conferre publicæ adminiſtrationis: atq; hoc eſt nobilem eſſe. Non enim facit nobilem, inquit Seneca, atrium plenũ fumoſis imaginibus. nemo in noſtrã gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacũq; conditione ſupra naturã licet ſurgere. Maiores certè Tui, etſi nobiliſsimi, non in gloriam Tuam, vt cum Seneca, vixerunt Tu Tibi abundè gloriæ, honori, laudi fuiſti. Teſtes enim ſunt eminentes illæ dignitates, Xantenſis nimirum Præpoſitura, nuperuſq; Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Decanatus, qui tibi vno omniũ ore ſic delatus eſt, vt prorſus virtuti

tuæ debitus fuisse videretur. Taceo diuersas ad S. Sedem, neq; non Germaniæ adeoq; Galliæ & finitimas Resp. legationes, quas summa cum integritate, nedũ fide & industria obiuisti: quam ob rem factũ, vt summam, summos apud Principes & Dynastas cõsecutus sis auctoritatem. Itaq;, licitũ mihi sit, cum Poëta:

Multa viri virtus animo, multũq; recursat
Gentis honos:

Gentis inquam ab amplitudine atq; antiquitate familiæ sic commendatæ, vt à multis retrò iam præteritis sæculis in Geldria floruerit; adeò quidẽ vt non aliundè ortũ suum acceptũ ferat Wachtendonckia vrbs, quã à maioribus Tuis, quos illam condidisse, mœnibus cinxisse, legibus stabilijsse notum exploratũq; est. Testis sit D. Arnoldus à Wacthtẽdõck, qui cum populũ iam dictæ suæ Vrbis sine certa lege, sine iure certò viuere cerne-

ret

ret, certas ijs condidit leges, quibus populus ille qui incerto adhuc iure regebatur, iam suis legibus viueret, tanto sui Cõditoris bono. Quid ego longâ memorem seriè præclaros eiusdem Tuæ gentis viros, qui toga sagoq; maximè eminuêre? tantũ, quos à Pietate commendatos mihi suggerunt scriptorum monumẽta, obiter, & per satyram, vt dicitur, referam. Occurrit autem primus propatruus Tuus Io. à Wahctendonck, Imp. Monast. S. Cornelij Archimandrita, ab integritate & morũ grauitate celeberrimus. Walterus quoq; eius frater Præpositus S. Apollinaris in Remagen. eximia vir eruditione, vt ex eius scriptis satis & super cõstat. Hermannũne sileã Archimãdritã Sigeburgensem? Robertũ Regalis Ecclesiæ Aquensis Decanũ? Deniq; fratrem tuũ Hermãnum Præpositũ Emricensem? vt alios, ne dicam alias

 (fuit

(fuit enim in altero sexu par cõsimilisq́ Pietas, in quo modo ipsa tua soror Isabella Vallis Comitis, vt alias sileam) quæ quoq́ ab eadem virtute euectæ fuêre ad culmina dignitatum sacrarum. Ac licet virtutes istorum omniũ eximiæ & lõgè latèq́ diffusæ, longius tamen adhuc se Tuæ exseruêre. Neq́ enim modò Archidiaconatu Leodiensi & Coloniensi, atq́ etiam Aerarij Serᵐⁱ Principis *nostri Præfectura, sed & Xantensi Præpositura, & pronuper Decanatu Maiori Leodiensi dignum Te præstiterunt: quin etiam aliarum dignitatũ prærogatiua, quibus Tu magis ornamento, quam illæ Tibi extiterunt. Quid multa?*

Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit vnda,
Ante discedet glacialis vrsæ
Sidus, & ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescãt.

Quocirca

Quocirca, nolo pluribus vel virtutum tuarum preconia vel maiorum tuorum encomia prosequi, ne pudorem tuum velle videar prouocare. Tantum Amp^{nem} Tuam enixè rogo, vt libellum istum sic accipiat, vt à maledicentiæ & liuore telis defensum atq; vindicatum mihi meisque studijs fauentes intelligant. In quo desino, & Deum Opt. max. rogo, vt Te Amp$^{me.}$ & Nobil$^{me.}$ Domine, insigni Ecclesiæ Leodiensi Reiq; publicæ nostræ longæuum diuque sospitem præstet. E Musæo nostro v. kal. Nouemb. Anno à partu virgineo. M. DCXIX.

Vni Deo honor & gloria.

INDEX RERVM.

B

C

D

F

IOANNIS A CHOKIER TRACTATVS DE RE NVMMARIA.

Cap. I.

De Nominibus pecuniæ ſignatæ, eorumq́; etymo.

MVltorum adhæreſcit animus legēdis veterum ſcriptis in poteſtate, & æſtimatione veteris monetæ. Propterea mihi certum, pro meo quidem otio, cōſulere his qui in hiſtoriarum cùm profanarum, tùm ſacrarum lectione otiantur, breui explicataq́; methodo vim ac valorem veteris pecuniæ minuto ſcripto hoc cōplecti. Initium autem dicendi ſumam ab ipſis nominibus, quæ ſunt indita metallo ſignato: poſtea viam pandam ad eorum interpretationem, æſtimationemq́;.

Ea sunt *Nummus, Pecunia, Moneta, Nummus* ἀπὸ τοῦ νόμου, (id est à lege) νόμισμα à verbo νομίζειν, quod est sancire vel statuere. Nummi igitur vocem à Græcis esse ortam vides, quod & testatur Pollux, Aristotelis auctoritate, qui *Nummum à Tarentinis dictum vult pecuniam, cum impressa effigie Tarantis filij Neptuni.* Ab illis ad Romanos postea deriuauit: tametsi natum velint Numum à Numa eorum Rege, qui primus, teste Suida, *pecuniam è ferro, atque ære signauit, atque ab eius nomine Numi dicti.* Pecuniæ nomen à Seruio Rege ducunt, quòd scilicet ille *signauerit æs*, inquit Plinius, *nota pecudis: vnde & pecunia appellata. Antea enim rudi ære vsos Romæ Remeus tradit.* Fuisse autem hanc primã pecuniam librarium assem adstruit idem Plinius, & infra nos ostendemus. A pecudis igitur nota pecunia dicta: quòd Romanorũ æs signatum primùm fuerit ouium, boumq; effigie, quod & notat Plutarchus: *Vetustissimis*

Nũmus vnde dictus

lib. 9.

A quo primum signatus.

In ἀσσάριον.

lib. 33. cap. 3.

Pecunia à pecude.

In Public.

ſimis nummis ſignum ouis, ſuis, bouis impreſſum. Hinc natum prouerbium vt qui pecuniâ corrupti loqui non auderent, bouem in lingua habere dicerentur, de quo Cælius Rhodig: lib. 10. antiq. lect. c. 2. Quidam tamen, vt Iſidorus, deducunt pecuniam à pecudibus, quaſi corio pecudum nūmi inciſi & ſignati fuerint. Nam antiquioribus temporibus, nummi materia erat corium : vt & lutum quod mox cap. 11. oſtendam. Verū, originem pecuniæ apud Romanos nonnulli adhuc altius repetunt ; à Iano videlicet vel Saturno, qui primi in Latio ante Romam ædificatam regnarunt : eos dicunt primum æs ſignaſſe, & in his Athenæus, Macrobius, Iſidorus. Sed Plinio aſſentimur nimis clarè Seruio Regi pecuniam ſignatam tribuēti: *Seruius* inquit, *Rex ouium boumq́; effigie primus æs ſignauit.* Nec officit in priſcis nummis inueniri ex altera parte Iani faciem, ex altera pontem, vel nauis roſtrum, vel Coro-

lib. 1.

Pecuniæ origo.

lib. 18. cap. 3.

nam: cùm has notas Seruius ipse, siue etiam posteri, memoriæ illius testimonio vsurpasse potuerint: à qua opinione nec dissentit Poëta: *Fastor 1.*

———*Sed cur Naualis in ære,*
Altera signata est, altera forma breuis?
At bona posteritas, puppim signauit in ære.
Hospitis aduentum testificata Dei.

Mammō Hebrais. Pecuniæ respondet apud Hebræos ac potius Syrios Mãmon, teste Tertulliano, qui explicãs locum illum Mathæi: *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ*, Mammonam capit pro pecunia, siue nummo. *duos* inquit, *Christus Dominus nominauit Deum, Mammonam, Creatorem, & Nummũ.* *cap. 6.*

Moneta vnde dicta. Vox tertia æris signati, *Moneta*: dicta quod signis in metallum impressis de pretio, vel pondere illius, siue etiam de auctore monemur. Nam & *Iuno* dicta est *Moneta* à monendo, cuius templi curã Triumuiris monetalibus commissã docet Cicero: *Cum terræ motus factus esset*, inquit, *vt sue plena procuratio fieret, vocem illam* *lib. 1. de Diuinat*

illā aiunt ab æde Iunonis sūma ex parte auditam. Ideò Monetam Iunonem appellatam fuisse à monēdo. Facit Plinius: *Hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus viuant, hæc in ære moneantur.* Paneg.

Cassadorus: *Monetam facis de nostris temporibus futura sæcula commonentem.* Atque hæc quidem metallo signato data Romāis nomina; apud quos vsus metalli mansit ad tempora vsq; Hadriani Imper. cuius æuo constat, pueros colludentes æs signatum in altum projecisse solitos, Caput, vel Nauem inclamantes: qui ludus etiam hodie amicus est pueris. Atque exindè argentum signari cæptum, & interiectis aliquot lustris, aurum; de quibus postea dicam. lib. 6. Var. c. de form. Com. s. Lurg. *Vsus metalli signati mansit vsq; ad æuum Hadria. Imp.*

Græcis quoque certa nomina æri signato attributa, videlicet primò νόμισμα quasi legitimū dixeris: nam vt Philosophus scribit: νόμισμα ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ *Numisma non naturâ, sed à lege est,* hoc est vim ac pretium *Numisma apud Græcos pro ære signato.* lib. 5. Ethic. c. 5.

 acci-

pit à lege, siue à communi populi consensu qui lex quędam est tacita, vt auctor est Iurisconsultus in lege 7. ff. de bonis damnat. Posteriori autem æuo Gręci Numisma pro aureo acceperunt : nam Theophilus aureum vertit numisma. Alterum κέρμα quo designantur minutissimi nummi apti maioribus commutandis. Vnde eos qui eiusmodi cōmutationem exercebāt κερματιστὰς S. Ioānnes appellat, vbi quoque vocem κέρμα vsurpatam inuenias, cum ait *Seruatorem generis humani* τῶν κολλυβιστῶν τὸ κέρμα *nummulos argentariorum effudisse.* Tertium sit χρῆμα dictum ab vsu, quod latius patet, genusque pecuniæ designat, vnde Aristoteles χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νόμισματι μετρεῖται *pecunias dicimus omnia quorū pretium nūmo æstimātur,* id est omnia bona fortunæ quæ pecuniæ voce laté sumpta Iurisconsultis quoque intelliguntur, vt prædixi. Verùm, de nominibus nummorū vt & de origine satis dictum esto.

κέρμα Græcis quid? cap. 2.

χρῆμα quid?

esto: tametsi sint qui altius repetãt, quam vel à Numa, vel à Seruio Regibus. Nam in Asia lydos primos nummum argenteum, aureumque signasse Herodotus scribit. lib. 1. Sic apud Persas Darium ex auro monetã primùm percussisse, alij memorię prodiderunt. Xenophon. Alij Phœnices primos cudendæ pecuniæ auctores fuisse ferunt, quos Plato naturâ factos scribit ad pecuniam coaceruãdam, & mercaturam exercendam. lib. 4. de Rep. Alij apud Athenienses Theseum nummum instituisse primùm cui inerat sculptura bouis nõ sine ratione adstruunt. Alij alios de quibus Pollux lib. 9. AElianus lib. 12. Var. Plin. lib. 33. cap. 3. Denique, Abrahami temporibus constat argenteos & siclos fuisse, quos ne sicco, quod aiũt pede, prætergrediar, facit frequens eorum in sacris mentio.

CAP. II.

De Siclo apud Hebræos. Quid Siclus? eius valor, qui ad nostrum redactus. de Statere Græcorum: & obiter de argenteo Hebræorum.

Siclus Hebræis Sechel dictus à radice Sachal, quæ librare, seu ponderare significat, vt memoriæ prodidit eruditiss. Ioannes Bapt. Villapandi. Licet autem ex nominis etymologia videatur Siclus fuisse podus; quo in significato non rarò vtitur Sacer Codex vt Num. 6. vers. 13. 14. 19. 20. & 84. & passim: attamen haud dubium est, quin procedente tempore is nummus factus fuerit, id quod vnius Iosephi testimonio liquidò probatur: *Post hæc,* inquit, *conuocato populo imperauit* (Moyses) *vt rursum contribuerent viritim dimidium siclum. Siclus autem nũmi genus est apud Hebræos quod valet quatuor drachmas atticas.* Ita ille: eratq; in siclis, & semisiclis maximè argenteis, notatus ab vna parte vasis,

Tom. 3. Appar. tépli ac Vrb. Hieros. disput. 4. cap. 22.

Siclus Hebræis nummus.

lib. 3. antiq. Iud. c. 9.

Quæ nota Siclis expressa.

vasis, seu vrnæ forma, in qua apud Hebræos erat manna reconditum ex scito Moysis, quod in arcà testamenti repositum erat, vt habetur Exodi cap. 16. Ex altera verò parte virga Aaron. In siclis verò æreis, radix ab vna parte balsami, ab altera palmæ forma expressa est: quo verò consilio res istę siclis impressę fuerint, consule eundem Villapandi latius se in mysticis diffundētem, in quibus ego pro opusculi breuitate non versor; ad illius æstimationem me iam conuerto. Igitur ex Iosepho supra didicimus Siclū quà nūmus est, valuisse quatuor drachmas atticas, quarum vna denario Romano antiquo æstimatur, atque ita Iulios Romanos siue Regales Hispanicos quatuor Siclus ęquabat. Quà verò pondus, certum quoque & exploratum est Siclum tātundem pōderasse, hoc est quatuor integras argenti drachmas, id est dimidiam vnciam argenti puri, vnciam dico quia Pharmacopolæ in medica supputatione vtūtur, quam Latini dupon-

d. Disp. 4. c. 26. & 27.

Valor Sicli.

Sicli æstimatio quà pondus.

dupondium, Greci τετράδραχμαμ siue στατῆρα dixêre. Hoc probatur S. Hieronymi assertione: *siclus*, inquit, *id est stater, habet quatuor drachmas atticas. Drachmæ autem octo, latinam unciam faciunt*, ita ille. ex quo vides siclum semi-vnciæ pōdus habuisse, id est quatuor drachmis atticis æqualem fuisse, quarum vna denario, vt dixi, Romano antiquo æstimabatur, siue Regali Hispanico iusti ponderis. Hieronymi doctrinam varijs confirmat argumentis Io. bapt: Villapandi, quin re-ipsa appendisse se dicit diuersos argenti siclos, quorum formam ibi exprimit, & singulos ex æquo semi-vnciæ Romanæ antiquæ respondere, ita vt ne minimũ quidem frumenti granulum huic vel illi Lanci addi potuerit, quin in eam examen propenderet: additq; eandem vnciam quæ nunc Romæ, ac per totam ferè Hispaniã est in vsu, fuisse antiquam qua Hieronymi tempestate vtebantur ijdem Romani, eamq; vnciam octo atticis drachmis ex æquo respondisse,

In Ezech 4. vers. 10.

d. Disp. 4. c. 18.

Vncia Roman. octo drachmarum.

pōdisse, id est totidem denarijs antiquis Romanis, siue Iulijs hodierni æui, aut Regalibus Hispanicis iusti ponderis. Nec illud silentio inuoluēdum, Sacri Codicis interpretes plerumque vbi sicli fit mentio, illum verti in staterem, vt testatur D. Hierony. ad illa Hieremiæ verba: *& appendi argenti decem, & septem siclos, quos*, inquit, *nos vertimus in stateres*, & rursum: *Porrò siclus qui græce dicitur στατὴρ vigīti habet obolos.* Nā vt siclo Hebrei, ita statere Græci, & Persæ vtebātur, q erat numisma quatuor, vt identidem dixi, drachmarum atticarum. Iterum: *Qui panis*, inquit, *habet vicenos siclos, id est stateres, siclus autem id est stater, habet drachmas quatuor.* Vnde tetradrachmus etiam dictus, id est nummus, aut pondus quatuor drachmarum, sicuti didrachmus duas drachmas continet, vt ex illo liquet Mathæi: *& cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester*

Siclus idem qui Stater

In Hieremiā 27.

In Ezec. 4.

Siclus quatuor erat drachmarum; vnde tetradrachmus dictus.

cap. 7.

vester non soluit didrachma: Postea subditur Dominum præcepisse Petro, *vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascẽderit, tolle, & aperto ore eius inuenies Staterem, illum sumens da eis pro me & te:* Quibus verbis, duo manifestè testata habemus; alterum didrachma à singulis solui consueuisse, alterum Staterem binis didrachmis æqualem fuisse, vtpotè qui & pro Christo, & pro Petro soluendus esset. Ex quibus omnibus efficio Siclũ, Staterem, Tetradrachmum pro eodem accipi & pondere, & numismate, & valore iam dicto, Cæterũ, quod Couar. & nõnulli alij Rabbinorum ægrisomnia sequuti, duplicem Siclum constituunt, Maiorem videlicet, & Minorem, illum Sacrum, seu Sanctuarij; hunc Publicum seu Profanum, toto, ni fallor, cælo errant. Nam etiamsi sacris in litteris Sicli Sanctuarij mẽtio fiat, atq; ita videantur distingui à Profano seu Publico, ac Regio, de quo Genes. 23. vers. 16. & 2. Reg.

Didrachma *tribu tũcuiusq; capitis.* Stater *duarum erat drachmarũ.* Siclus stater Tetradrachm' *eadem re & pond.* De vet. num. collat. *Siclum malè quidam duplicem cõstituũt*

2. Reg. 14. v. 26. & alibi, non eò tamen inferri ſpecie, aut valore fuiſſe diuerſos: ſiquidem quod in Sanctuario aſſeruaretur vnus Siclus, ad cuius pondus Profani ſeu Regij examinarentur, coniecerant contrariæ ſententiæ auctores diuerſum illum Siclum fuiſſe à Profano; cum tamen vterq; Græcorũ Stateri, Romanæq; ſemunciæ par æqualiſque fuerit. Neq; fando inauditum eſt menſuras & pondera templis ſanctuarijſq; aſſeruari ſolita, vel ſi dũtaxat Iuſtiniani tẽpora repetamus, quibus conſtat eundem Exactoribus tributorum mandaſſe, vt iuſtis ponderibus ac menſuris dum tributa exigerent vterẽtur, ad normam videlicet ponderum, ac menſurarum, quas eo fine in ſanctiſſima vniuſcuiuſq; Ciuitatis Eccleſia ſeruari mandauit, ne videlicet, vt equidem reor, corruptioni obnoxiæ eſſent. Quò magis hoc in ſacris obſeruatum eſſe dicendum, quod Sacerdotis munus erat ex ſcito diuino præeſſe ponderibus, ac menſuris, iuxta

Leuit. 27 verſ. 24.

Menſuræ & pondera tẽplis olim aſſeruabantur.

Nouel. 128. §. eos autẽ.

Ezech. 45. verſ. 10.

Cura ponderum & menſurarũ Sacer. cõmiſſa.

iuxta illud, *statera iusta, & ephi iustū, & batus* (Hebræorum mensura) *iustus erit vobis*, & post illa, *siclus autē viginti obolos habet.* Quo in loco iuxta P. Villapandi interpretationem, non tam sanctuarij mēsuras, quæ Babylone detentis in vsu non erant, quam vulgares vniuerso Israëli communes exigere conatur, prohibens diuersa haberi pondera, diuersasq; mensuras, vt S. Hieron. inibi notat. Quod si vulgares ac profanos siclos in d. Ezechielis loco intelligant; vt certè tales capi debent, & siclus ille viginti obolos habuerit, consequitur valorē hunc à sacro haud dissimilem fuisse, cum hic quoq; totidem viginti obolos valuerit, vt constat leuit 1.27. vers. 25. Exodi 20. vers. 13. & alijs scripturæ sacræ locis. Deniq; aduerte vbicumq; argentei mentio fit in sacro Codice, per illū intelligi siclum illiusq; valorem, & triginta illos argenteos quibus D. N. I. Christus fuit venditus à Iuda proditore, totidem

Argenteus in Sacris litteris idem qui Siclus

tidem fuisse siclos qui constituebāt quindecim vncias argenti Romanas, siue vndecim Hispanicas.. Vnde quod habetur 3. Reg. 10. in Hebræo *sexcentis argenti* latinus interpretes vertit, *Egrediebatur autem quadriga ex AEgipto sexcentis siclis argenti.* Quod intellige vbi de Iudæorum argenteis sermo est: nam vbi de Græcis argēteis, vt act. apost. 19. vers. 19. argenteus drachma attica æstimatur. Vt enim Hebræi Siclis, ita Græci pecuniarum summas Drachmis numerabāt, vt in Belgio & Gallia per libras. Partes sicli si quæras, inuenio trientem de quo 2. Esdræ 5. 10. vers. 32. & quadrantem de quo 1. Reg 9. vers. 8. denario Romano parem.

Triginta argentei quibus Seruatot noster venditus totidem Siclos cōstituebāt

Sicli partes.

CAP.

Cap. III.

Materia nummorum prisci aui, Corium, Ferrum, Plumbum. Assis & Quadrantis. aestimatio.

AB origine nummorum, deflecto ad materiam, quę quoque varia pro varijs hominum nationibus. Et quidem priscos Lacedæmoniorũ è corio nũmos sibi formasse Seneca auctor est: *AEs alienum*, inquit, *habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ, præstat.* Postea ferreis nummis vsos fuisse Lycurgi legibus Plutarchus apertè testatur, vt & Xenophon, & Stob. Serm. 145. νȣμίσματι, inquit, χρῶνται σιδηρῷ: *numismate vtuntur ferreo.* Ipsum hoc quoq; indicat Athenæus: *At diuinus Plato*, inquit, *Lycurgusq́; Lacedæmonius, neq; vagari per suas Respub. sumptuosum aliud patiebantur quidpiam, neq; aurum vel argentum,* quoniam

Lacedæmoniorũ nummi primum è corio.
lib. 5. de benef. cap. 14.
Successerunt ferrei nũmi.
Dipnosoph. l. 6. c. 4.

quoniã ex omnibus metallis solum æs, & ferrum sufficere existimabant. Atque hi nummi magni ponderis erant, sed nullius ferè pretij. vnde *nummum Spartanum* per parœmiam enunciamus, de re conatus magni, emolumenti nullius. Nummi ferrei meminit Aristoteles œconomicon secundò, nec non stannei, & æneì Pollux. Latinos quoq; è corio formatos habuisse orbiculos modico auro signatos, nummorum loco docet liber de rebus bellicis in calce Notitiæ Imperij, sed & Isidorus verbis his: *Pecunia de pecudibus, & proprietatem habet, & nomen. de corio enim pecudis nummi incidebantur, & signabantur: Postea à Saturno nũmus æreus inuentus est.* Et Plato Carthaginẽses corijs nummis in commercijs vsos esse, Stateris magnitudine, alibi prodidit. At Romani initio Imperij plumbeo vsi fuêre, illudq; vim ac potestatẽ pecuniæ habuisse, vsque ad Cæsarum æuum ex Poëtis, & Comicis satis patet. Plautus:

Cæl. Rhod. l. 10. antiq lect. c. 4.

Nũmus Spartan. prouerb.

l. 16. c. 17

Nũmus æreus à Saturno.

Carthaginen. corijs nũmis vsi.

Romani intio Imperij plũbeis nummis vtebantur.

Casina *Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus*. & in Trinum: *Cui si capitis res si ei nūmum nunquam credam plumbeum*. Rursum: *Tace Faber qui* Mostell. *cudere soles plumbeos nummos*. Martialis: *Anteambulones, & togatulos* lib. 10. Epig. 75. *inter, Centū merebor plūbeos die toto*. Hos verò, non alios fuisse quā quadrantes, siuè quartam assis partem, eiusdem Poëtę auctoritate constat, qui assignat quadrantes, pretium & mercedem diurnam Anteambulonum; quod & probat Satyricus: ——— *Densissima Centum Quadrantes Lectica petit*. Sed & legitimum erat pretium trasuectionis: vnde & *Ratiti* dicti, Festo, Varrone, alijs & postea balneatoris; super quo Cicero: *Mulier quadrantaria per mutatione familiaris facta balneatori*. Valet autem *Quadrans* ad Romanam æstimationem paullò plus quam Quadrinūm Romanum, Belgicum verò obolos circiter tres, quorum 24. stupherum conficiunt; quadrantes autem quatuor

Plumbei nummi quadrātes.

Quadrās pretium anteambulonum.

Saty. 1.

Itē trāsnectionis, & balneatoris.

Fro M. Cælio.

Quadrantis valor iuxta aui presentis.

tuor assem reddunt, As Baiochum Romanum siuè dimidium Stuphe- rum Belgicum. Atque hi nummi omnium valoris minutissimi. Vn- de natæ formulæ: *Assis facere* pro nihili: *Assem se negat daturum* pro minimã pecuniã. Cato apud Plutar- chum: *Etsi Asse vẽdatur carum est quo non indigeas* Atque hi, vt dixi, plũbei. licet populo Romano à Numa con- giarij loco datos asses ligneos, & Scorteos legamus, de quibus alibi Hieronymus, & Donatus ad illud Virgilij:

Quadrantes quatuor Assẽ cõstituũt.

As quãti ad nostrã æstimationem.

Cæl. Rhod. 10. lect. antiq. cap. 2.

Asses lignei.

Taurino quantum possent circumdare Tauro.

Cap. IV.

Æs successit apud Romanos & Græcos. Illud adpensum non numeratum. Asses æreos, eosq́; Librales fuisse.

OBiter & in occasione, Assis potestatem attigi, nunc per partes examinandus, si primùm monuerim illius materiã æram fuisse.

Plumbũ succeßit æri apud Romanos Nam apud Romanos post plũbum æs signatum pecuniæ loco, eaq; fuit As dicta, ab ære videlicet, vt Varto ait. Vnde pro assibus nonunquam *lib. 4. de lingua lat.* æs dicebãt antiqui, ex quo dicimus *mille æris legasse* & pleraq; talia. Nec tantum apud Romanos, sed & *Aes pro Asse.* Græcos vt quidem vult I. Pollux: *lib. 9.* *Communis*, inquit, *& plurium vsus, etiam æs dicit: vt non habet æs.* Vnde milites ære merere dicuntur apud *lib. 10.* Lucanum: *ære merent paruo*, hinc defluxit vox *ærarium* quod in eo æs militum reponebatur, *& Tribuni ærarij* pro ijs qui ærario præerant. *As libralis erat.* Assem autem initio ex ære libralem constituerunt, vt præter Varronem, Plinium, Agellius testatur. Vnde *Aßipondium* Varroni, & libra Prisciano dictus est.

Denarius quid? *Denarius*, inquit Priscianus; *decem librarum nũmus, id est decem Aßium*: quos quoque appẽdere non numerare solitos, vel formulæ istæ satis *Pecuaiæ olim appensæ non numerat.* ostendunt: *Expensum ferre, Dependere*; hinc & *Stipẽdia, Impendia*: quod nimi-

nimirum pecuniæ ſummam nō ex numero vt nos, ſed ex pondere colligebant, quod nedum Romanos, ſed multis ante eos ſeculis Hebræos, & Syros vſurpaſſe manifeſtò conſtat ex diuerſis Sacræ paginæ locis Gen. 23.16. Exodi 22.17. Reg.20, 39. Ita Mathæi 26.15. legitur Primarios Sacerdotes 30. argenteos nummos Iudæ proditori nō numeraſſe, ſed eos ἔστησαν vt textus Græcus habet, vel vt Symmachus locum parellum Zachar 11. 12. reddidit ἐστάθμισαν hoc eſt appenderunt, ſeu pondere dederunt. Quæ quidem veterum Hebræorum ponderandi conſuetudo ſenſim cum alijs plerisque ritibus ad Romanos defluxit, vt rectè animaduertit eximiæ vir eruditionis Io. Baptiſta Villapandi. Vnde in Numiſmatibus quæ poſtea Imperatores memoriæ partæque gloriæ teſtimonio excudebant, *Cornu copiæ* plerumq; notam imprimebant, parte verò altera *Stateræ*, vt in Domitiani Numiſmatibus videre eſt. Staterâ autem ſignificare

De apparatu vrbis ac templi

volebant pecunias antiquitus non numero, ſed pondere æſtimatas. Nam & militum ſtipendia pondere, non numero conſtitiſſe, Plinius nonnullibi docet. *As* ergò libralis. & quia talis, litera L ducta ex tranſuerſo linea notatus erat. Eius portò partes, *Dipondius*, *Tripondius* id eſt duorum, trium Aſſium, voces Plinio, Senecæ, Iuſtiniano, Quintiliano notæ. Atq; ab hoc librali pondere factum, vt Aſſes, & crumenam, ſiuè Sacciperium nō in zona, ſed in humeris geſtarent, id quod apud Comicos, & Poëtas, non infrequenter legis. Virgilius:

Militum ſtipendia appenſa.

Aſſis partes.

In Eglog

Inde domum ceruice leuis, grauis are redibis. Rurſum:

Nonnunquam grauis are domum mihi dextra redibat.

Stipandi verbum.

lib. 4. de lin. lat.

Vnde & ſtipandi verbum, quòd *qui maiorem numerum Aſſium acceperat*, inquit Varro, *non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt componebant.* Quò pertinet illud Feſti: *Pendere pœnas, ſoluere ſignificat: ab*

eo

& quòd ære graui cum vterentur Romani, penso eo, non numnratò debitum sdluebant. vnde etiam pensiones dictæ.
Sed & illud notãdum, quoties æris nomen occurrit, Asses ipsos intelligi, vt ex loco præcitato patet. hinc vetus formula *per æs & libram emere* quia nimirum Libripendes adhibebantur ad pensitandum Asses. Itaq; cum apud Liuium legis : *Iudicibus decem millia æris grauis, quæ tùm diuitiæ habebantur data*; tot millia Assium cape : quę efficiunt in moneta Italica 100. Ducatones, siuè mille Iulios Romanos : Belgica 100. Philippæos, vt postea latius ostendam.

Aes occurrit Asses intelligi.

Decem millia æris & decẽ millia Assium, re eadẽ.

Cap. V.

Assis pondus postea imminutum, & quomodo. deq; partibus Assis.

ASses diximus librales. Sed caue putes semper fuisse tales. Nam bello Punico primo pressus Pop. Romanus ære alieno, Assium pondus imminuit, *constituitq;*, ita Plinius, *vt Asses sextantario pondere*

Asses quando imminuti.

ferirentur. Ita quinq; partes factæ lucri, dissolutumq; æs alienum. Postea Hannibale vrgente Q. Fab. Max. Dictatore Asses vnciales facti, mox lege Papiriâ semi-vnciales. Hinc vides Asses sextantario pondere, id est duarum vnciarum tunc percussos fuisse, qui tamen tantundem valerent atque librales; quod ipsum Festus apertè asserit: *Bello Punico Po. Romanus pressus ære alieno ex singulis Assibus librarijs senos fecit qui tantundem valerent.* Sed & post illa immi- nuti, & facti vnciales & semivnciales, vt lege Papiriana ostensum ex Plinio. Is autem cum dicit in Asse sextantario quinque partes lucrifactas, ita intelligendum, ex Asse vno libralio sex fuisse factos qui tātundem valerent: quod valde notandum est pro æstimatione commodiore denarij, de qua suo loco dicā. Superest vt partes veteris Assis producam, quarum nomina *sextans*, qui sexta eius pars est. Varro: *Sextās ab eo quod sexta pars Assis.* Liuius: *plebs*

Asses imminuti ad duas vncias

In Graue æs

& postea ad vnam vnciam & semivnciam.

cap. 8.

Assis veteris partes,

lib. 4. de l.l.

lib. 2.

plebs Agrippam extulit, sextantibus collatis. altera *quadrans* qui vim suam suo satis nomine prodit. idem Varro: *Quadrans dictus à quarta parte Assis.* Plinius: *Quadrans antea Triuntis vocatus à tribus vncijs*, & signatus teste Festo, ratis notâ, eumq; plumbeum fuisse, tùm ex dictis, tùm ex Martial. patet, qui *nigram monetam* eum appellat: quòd digiti eius attritu nigrescant: *Vt conuiuia sumptuosiora nigræ Explices monetæ.*

lib. 4. *Quadrãs plubeus nummus* lib. 1. Epigr. 55

Triens sequitur, qui sic dictus est, auctore Varrone, quod esset tertia pars Assis, notabaturque cum Quadrante *ratis* effigie, vt clarè docet Festus, *Ratitum*, inquit, *Quadrãtem dictum putant quod in eo, & Triente ratis fuerit effigies, vt nauis in Asse.* Denique *Semis* pars erat Assis dimidia, quæ Græcis ἡμιάσσαριον dicta, apud Plutar. Polybium, & alios. De Semisse. Varro: *Semissis quod Semi as, id est dimidium assis.* Nota vox Tertuliano: *Licet nunc Sarmentitios, inquit, & Semisses appelletis, quia ad stipem*

Triens 4. de l. L. *Semis.* d. loco. Apolog. *Christiani olim cur dicti Sarmentitij?*

ſtipem dimidij Aſsis reuincti Sarmentitiorum ambitu exurimus. Hic eſt habitus victoria noſtræ, hæc palmata veſtis. Inuehitur in Gentiles, iiſq; illudit qui Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ igni mandabant confecto ſarmentis Semiſſe emptis, iiſq; vt Plurimum madidis, quò lenta morte eos conficerent.

CAP. II.

Antiqua ratio computandi Aſſem. eius valor ad noſtram æſtimationem reductus.

A Pondere, & partibus Aſſis, trãſgredior ad eius valorem, & numerationem, quæ facilis omninò, qui cum I. Lipſio celebratæ memoriæ viro ſicillũ ſupputabit: *Coniunctis* videlicet *vocibus*, *& ſimplicibus. Coniunctis* veteres vſi, etſi rarius, vt Aſſis, Duſſis, Treſſis, Quadraſſis, Quinqueſſis, ſiue Quinarius, Sextuſſis, Octuſſis, Nonuſſis, Decuſſis, ſiue Denarius: iterumque geminatis denarijs: Viceſſis, Triceſſis

cessis, Quadragessis, Octogessis, Nonagessis, Centussis. Atque hic finis: *nec maius est*, vt Varro inquit, vocabulum æris. *Simplex supputatio* frequentior. quæ iterum duplex: vel *per Asses* expresse, vt bini, terni, deni, mille Asses, vel per vocem *æris*, vt bini, terni, quini, deni, &c. æris; quæ vox dum occurrit, totidem Asses intelliges, vt identidem monui. Hæc ad numerationem. Ad valorem, & vim hodiernæ ætatis quod attinet, facilis tibi erit, & perspicua, vel in qualicumq; summa, si oculos, ac mentem dirigas ad subiectam hanc tabellam: De l.l.

As	Valet	vnum Baiochũ Romanum, siue quatuor Marauadinos Hispanicos, aut dimidium Stupherum Belgicum.
Bini Asses	Valent	2. Baiochos, siue vnum Stupherum Belgicum.
Quini æris		5. Baiochos, siue duos Stupheros & semissem.

Deni

Deni æris	Valent	10. Baiochos, siue Iulium Romanum, aut Regalem Hispan.
Centeni æris		10. Iulios Romanos, siue Regales Hispan.
Mille æris		10. Ducatones Floren. siue Philippeos Hispã.
Dena millia æris		Centum Ducatones, siue Philippæos.
Cẽtũ millia æris		Mille Ducatones seu Philippicos.

Atq; ab hoc numero proceditur ad decies centena millia, siue quod idem est decies æris, quod valebat decẽ millia Philippicûm, siue Ducatonum Argenteorum. Compendij enim & breuitatis causa *decies æris* dicebant, prô *decies centena millia æris*, quod passim in Liuio, & alijs leges.

Decies æris.

CAP.

CAP. VII.

De Argenteo nummo: quando signatus. Denarij valor. eius cum Drachma collatio: deque Obolo, & areis minutis.

AEris originẽ, vsum, valorem ostendi. De Argenteo nunc dicendum qui æreo successit, vt Isidorus scribit: *Prius* inquit *Roma area pecunia in vsu fuit, post argẽtea, deinde aurea subsecuta: sed ab ea qua cœpit nomen retinuit: vnde etiam, ærarium dictum.* Signatum autem argentum comperio circa Annum V. C. 484. paullò ante Punicum bellum primum Q. Fabio Cos. *Victis enim Tarentinis tunc primùm*, inquit Liuiana Epitome, *Pop. Romanus argento vti cœpit.* & Zonaras: *Tũc multa pecunia*, inquit. *Romæ obtigit, adeò vt argẽteis denarijs vti cœperint* His tamen reclamat Charisius Grammaticus apud Varronem, qui argenteum nũmum à Seruio Tullio primum con-

lib. 16.

Argẽtum quando signatum Romæ.

Plin. l. 33

Tom. 2. Annal.

conflatum ſcribit, niſi ſi tamen primum fuiſſe conflatum, & poſt illa ſignatum dicamus: Nam non video quî recedamus à priori ſententia, præſertim cum Liuius, alijſque, veteres in ſupputando, (ne in cenſu quidem Seruij) ſummas per argenteos nummos non concipiant, ſed æreos. Hæc de origine. De eius ſpeciebus nunc dicendum. quæ tales ſunt: *Denarius* qui denos Aſſes valebat, vnde illi nomen. Vitruuius: *In Denario denos Aſſes æreos conſtituerunt, & quartam eius partem de duobus Aßibus & Semiſſe* Seſtertium *vocauerunt.* Varro: *Denarius quod denos æris valebat*, id eſt decem Aſſes. Decem enim Aſſes vno argenteo Denario Romano æſtimabãtur, id eſt Iulio hodierno Romano, vel Regali Hiſpanico, quemaddum decem argẽtei Denarij Drachmam auream valebant; habita decupla proportione æris ad argentum, & argenti ad aurum. Hinc facilis tibi, & expedita Denarij ſupputatio.

Species argentei nummi. *Denarius 10. Aßibus æſtimatus.* lib. 3. cap. 1. lib. 4. de l. 1. Alciat. ad l. Hęc enuncia tio, 232. de verb. ſig. *Decẽ argentei Drachma vna aurea æſtimabatur.*

tatio. Sed aduerte tamen quod dico *Denarium* decē Assibus æstimatum, Asses illos antiquos intelligere me qui in vsu ante bellum Punicum primum. Nam vrgente Rep. Hannibale, quo tempore Asses facti sunt vnciales, vt supra ostendimus, *Placuit*, inquit, Plinius, *Denarium sexdecim Assibus permutari, Quinarium octonis, Sestertium quaternis.* lib. 3. cap. 3. Vnde factum, vt denarijs eius temporis numerus XVI. signaretur, teste Volusio: alijs verò, veteribus dico, insignirentur plerumq; notæ *Bigæ*, aut *Quadrigæ*, vt Festus notat, unde *Bigati* & *Quadrigati* dicti. quæ voces cum occurrunt; semper pro ipsis Denarijs capiendæ. Atq; ex his compendiò dictis, facilis tibi patet explicatio eorum quæ fuse scribit Erud. Io. Bapt. Villapandi. Atque illud etiam notandum, Denarium Græcos æstimare Drachma Attica, vt quæ *Denarij argentei*, inquit Plinius, *pondus haberet*; & cum illas legis totidem Denarijs argenteis Ro-

Nota Denariorū, Bigæ, Quadrigæ.

Denarij dicti Bigati, Quadrigati.

In appar vrbis ac templi Hierosl. l. 2. disp. 2. c. 10.

Romanis, siue Iulijs, aut Regalibus Hispanicis æquiparare, idemque pondus habere. Id apertè ostendit Scribonius Largus: *Erit nota Denarij vnius*, inquit, *pro Græca Drachma: æque enim in libra Denarij* 84. *apud nos, quot Drachmæ apud Græcos incur-*
l.1.c. 8. *runt*. Ita Gellius, *Myriadem Drachmarum*, seu *Talētum nummi Romani*, Denariûm dena millia facere adstruit. Cum ergò in libra argenti 84 Denarij seu Drachmę Atticę fuerint, consequens est vnciam argēti septem Denarios continuisse.
l.15.c.12. quod & voluit Celsus his verbis: *Scire volumus in vncia pondus Denariorum septem fuisse*. Vnde Denarij viginti, & vnum, vncias argenti tres conficiebant: vt facilè elicias, quantum appēderint, & valuerint 300. Denarij in l. lecta ff. Si cert. pet. & illi 1000. in l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus ff. de verb. oblig. & in l. Fin. de Instit. aliæq; summæ quoties libris Pandectarum occurrunt. Quamquam non ignorem quan-

quandoque variatum in pondere. Nam lego nõnunquam Drachmas, seu Denarios 96. in librã imputatos: quod colligo ex illo C. Fãnij:

Centum hæ sunt Drachmæ, quod si detraxeris illis
Quatuor, efficies hanc nostram deniq; libram.

Denarij æstimatio ad pondus immutata. De Pōd.

Romanã scilicet. Sed discrimen quando factum, alij disquirant, mihi quidem hic aqua hæret. Illud exploratum, Græcos Scriptores, vbi in Romanæ pecuniæ mentionẽ inciderent, semper Drachmam posuisse loco Denarij; vti & Latinos Denariũ pro Drachma, quem diximus hodiernâ monetâ æstimari Iulio Romano, siue Regali Hispanico argẽteo. Vnde cum Appianus scribit Octauium quingẽtas Drachmas veteranis, quos ex municipijs collegerat, promisisse, Cicero idem exprimẽs totidem Denarios dedisse scribit. Sic in Plutarcho cum legis Epicteti Philosophi lampadem siue lichnũ tribus millibus Drachmarũ

Græci Drachmam pro Denario Romano passim vsurpabãt

l.16. ad att.epist. 6.

coæstimatũ, totidem Denarios Romanos intelligas. Drachma autem Græcorum, vt hoc obiter addam sex Obolis Atticis constabat, atq; inde illi nomen Drachma, hoc est manipulus Obolorũ, tantum enim complectebatur manus quod περιδράπτεσται Drachmę nota erat ab vna parte noctua ipsius Mineruæ auis; ab altera galeatũ caput Mineruæ, vel, vt alij, imago lucernæ inextinctæ Mineruæ apud Athenienses sacræ. Oboli verò sagitta, vel obelus, vnde nomẽ accepit vt refert Plutarchus: & æquabat quadragesimam, & duas partes vnciæ argenteæ. Drachmæ meminit l. vlt. de decret. ab ord. fac. Oboli l. Publia §.1. ff. Depositi, vbi Oboli quatuor conficiunt duos Scrupulos, seu duas tertias Drachmæ Atticæ, & æquabant ferè vndecim Solidos Mediolanenses. Hebræus autẽ Obolus maior est Græcorum Obolo quintâ illius parte vt doctè ostẽdit Io. Bapt. Villapandi, scribẽs insuper Obolum in duos diuisisse semiobolos, & vnũquemq;

Oboli æstimatio, & nota.

Hebræus obolus.

in

in sex Areola quæ χάλοι dicebatur. Chalcus septem habuit Minuta, λεπτὰ Græcis dicta. Lepton autem siue minutũ deinceps non diuidebatur, vt potè omnium Numismatum minimum: de quo in Euang. Marci c. 12. vers. 41 & 42. & Lucæ 21. vers. 1. & 2. ex quibus locis vides duo lepta, siue minuta quadrantem efficere quod affirmat Suidas in voce κοδράντης. Itaque Minutũ semidrachmam põderebat, & valore æquabat octogesimam Denarij partem, vt Quadrans quadragesimam, & Assarius vigesimam. *Lepton.*

CAP. VIII.

Denarij partes, Libella, Quinarius, Sestertius. *Eorum valor, pro vsu hodiernæ monetæ.*

DE æstimatione Denarij adhuc dixi; nunc de eius partibus, earumq; potestate. Denarij partes primum *libella*, quæ eius pars decuma erat, quæ sic dicta, non quia ponderе; sed valore æquaret assem. *Partes Denarij* *Libella*

lib. 4. de l. l. Varro: *Nummi*, inquit, *Denarij decuma libella quod libram pōdo as valebat*: eius meminit nō vno in loco Plautus: *Tibi libellam argenti nunquam creduam*; & Cicero pluſculis in locis. Sed & Plinius: *libralis, Vnde etiānum libella dicitur, & Dipondius appendebatur Aſsis*. Non quod libram penderet libella, ſed quia libræ æræ pretio, ac valore, vt dixi, reſponderet. Vox tamen poſteriori æuo ad pondus ipſum libræ trāſlatæ: nam legimus carcere incluſis qui ſibi ſubuenire non poterant, duas treſuè panis libellas in diem datas. At regredior quò loci incœpi. *Libellam* igitur veteres diuidebant perinde atq; Aſſem; in *Sembellam*, quaſi Semi libellā, quæ Semiſſi reſpondebat de qua Varro. & *Teruncium*, qui quadrantis valore æſtimabatur, cuius apud Ciceronem crebra mētio: Ad Atticum: *Fecit te ex libella heredem; me ex Teruncio*, id eſt te ex Aſſe, me ex quadrante, ſiue quarta parte. Rurſum: *De præda mea Teruncium*, *non*

Pſeud. ProCo-med. & 2. in Ver

L. Iudices C. de Epiſc. aud.

Libella partes.

lib. 4.

lib. 2. ad famil. ep. 25.

non attigit quisquam, & alibi sæpius; nec erat minor nummus argenteus isto apud Romanos. Rursum Denarij partes, & quidem frequentiores, *Sestertius*, & *Quinarius*, qui cōmuniter *Victoriatus* nuncupabatur, signatusque erat imagine victoriæ sedentis. De isto Varro: *Denarius, quod denos æris valebat: Quinarius quod quinos.* Plinius: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodiâ percussus est: est autē signatus Victoria, & inde illi nomen.* De illo quoq; Vitruuius: *Nostri autem primò decem antiquum fecerunt numerum, & in Denario denos æreos constituerunt, & ea re ad hodiernam diem* Denarij *nomen retinet, etiamq; quartā eius partem & quod efficiebatur ex duobus Assibus, & tertio Semisse, Sestertium vocitauerant.* Denique Sestertij planè meminit idem Varro, qui duos Asses, & Semissem eum valuisse adstruit: *Sestertius*, inquit, *quod Semis tertius*, Dupondius *enim, & Semis, antiquis Sestertius est, & veteris consuetudinis est,*

Alia Denarij partes.

lib. 4. de l.l.

lib. 33.

lib. 3. c. 1

lib. 4. de l.l.

est, vt retro æra numerentur, ita vt Semis tertius, Semis quartus pronunciarent. Plinius; *placuit Sestertius pro Dupondio, & Semisse*: Addendus Volutius Metianus: *Denarius*, inquit, *primò Asses decem valebat, vnde & nomen traxit: Quinarium dimidium eius, id est quinque Asses: vnde, & ipse vocatur Sestertius, duos Asses, & Semissem valens, quasi Semis tertius.* In quo tamen notes, hunc Sestertij valorem referri ad Denarium antiquum, qui decẽ, vt diximus, Assibus permutabatur: nam vbi eius valor, non tamen pondus (bello scilicet Punico II, quo tempore rei pecuniariæ inopia pressa erat Resp.) auctus est, certissimum sit Sestertium quaternis Assibus permutatum esse: ipsum quod docet idem Plin: *Postea,* inquit, *placuit Denarium sexdecim Assibus permutari: Quinariũ octonis, Sestertium quaternis. In militari tamen stipendio semper Denarius pro decem Assibus datus.* Denarium ergò accipiẽtes pro decem Assibus, quos paullò

lib. 33.

De Pōd. & Mens.

Sestertij valor tem pore Belli Punici. 2.

lib. 33.

Denarij valor.

paullò ante Iulio Romano siue Regali Hispanico æstimauimus, *libella* valuerit Baiochum Romanum, siue dimidiũ Stupherũ belgicũ, *Sestertius* dimidium grossum Romanũ, siue duos Stupheros belgicos, & Semissem. *Quinarius*, siue *Victoriatus*, medium Iulium, siue medium Regalem Hispanicum. Atq; hæc supputatio cùm per numeros simplices effertur facilis est, & expedita; at in Sestertijs, non ita procliuis. Modum supputationis ineundæ didici Magisterio fama inclyti viri I. Lipsij Præceptoris mei, qui binis, aut ternis Regulis rem mihi sic expeditam reddebat.

Libella valor.

Quinarij valor.

Prima sit, ipsam voceẽ *Sestertios*, aut *Nummos* (quod idem valet) alias seorsim quamq; poni, vt *decem Sestercios*, vel *decem Nũmos*. Interdum iunctim vtramque, vt *decem Sestertios Nummos*, Pleonasmo quodam vulgi. Interdum & neutram: Sueto. *Funeratus est impẽsa ducentorũ milliũ*: Idem alibi; *Promissum ius annulorũ* cum

Ratio supputandi Sestertios

In Nero Cæsare

cum millibus quadringentis, & apud Poëtas valde crebrò, ſemper ijs locis intelligendi Seſtertij, vt in illo Iuuenalis: Saty. 4.

——*Mullum ſex millibus emit.*
Aequātē ſanè paribus Seſtertia libris.

Helluonem quendam taxat Poëta, qui gulæ ſatisfaciendæ, piſcem ſex librarum emerat ſenis millibus Seſtertiûm, id eſt mille, & quingentis regalibus Hiſpanicis, ſiue Iulijs Romanis. Hæc igitur vſitatiſſima ratio computandi.

Altera Regula, diſcrimen eſſe inter *Seſtertios*, & *Seſtertia*. Illos igitur cùm legis, ſingulos eos nummos accipe; cum iſta, intellige ſingula millia, vt *bini Seſtertij*, totidem nummi: *bina Seſtertia*; bina millia Seſtertiûm, & ſic deinceps. Cauſa huius rei variè anquiritur, & redditur: in refellēdo non inſiſtam. Sed veriſſimum credo à conſuetudine merâ vulgi, hoc natū. Cum.n. plenè dicerent, *bina millia Seſtertiûm*, cœptum eſt vt ſolet, compendiò efferri, *bina*

